



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 8. Quam necessaria sit Christiano ultimi finis consideratio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

tum diei morâ in ea manera liceret, innumera- biles hujus vitæ anni pleni delitiis, & omni af- fluentiâ temporalium bonorum, merito contem- nerentur. Scriptum est enim, *Quia melior est dies unain atriis tuis super millia (Psal. 83.)* Ne- mo autem mirari debet, si quæ aliquando in hoc tractatu repetita occurrent; connexa sunt enim virtutum documenta, & hæc est vis veri- tatis, ut quo propius ad ipsam accedimus, eò frequentius in eandem incurramus. Si quæ ve- rò aspera & difficilia, si quæ graviora, & hu- manæ fragilitatis vires excedentia videantur, meminisse juvabit regnum cælorum vim pati, nec esse condignas passiones hujus temporis, quamvis unus omnes sustineat, ad futuram Glo- riam, quæ revelabitur in nobis. Brevis labor est, merces æterna.

S. VIII.

Quam necessaria sit Christiano ultimi finis consideratio.

Nec verbis exprimi, nec mente concipi potest, quanta sit inter Christianos ul- timi finis ignorantia. Si nulla esset æternitas, si nihil post hanc vitam sperandum aut timendum foret, numquid aliter viveremus? Paucissimi sunt, qui serio considerent, hoc unum sibi & gravissimum negotium in hac vita peragendum esse, ad quod omnia dirigere, cui totis viribus incumbere oportet, ut quisque scilicet finem suum consequatur, qui propter se appetitur, & non refertur ad aliud, de quo Philippus Apostolus loquebatur cum dixit, *Ostende nobis Patrem, & sufficit nobis (Joan. 14: 8.)* Finis enim, qui est Deus, ejusque clara visio sufficit nobis, quia ejus non erit finis. Cætera nugæ, & vanitates sunt, & afflictio spiritus. Docet nos corporis figuratio ad quid nati simus. Erecto enim vul- tu creavit nos Deus, ut cælum aspiciamus, unde origo nostra, ubi patria est. Plerique tamen pecudum more in terram proni nihil quærunt, nihil sapiunt nisi terram; ac veluti lethargo oppressi vix ad magnos clamores, atque etiam ad- moto igne, caput attollunt. Tum paucis ver- bis imperfectè prolatis rursus obdormiunt, & verba salutis nec audire volunt, nec audita per- cipiunt. Verbum Domini est, *Quærite pri- mum regnum Dei, & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis (Matth. 6: 33.)* Nos

autem de regno Dei nihil solliciti, pecuniam pri- mum quærimus; & sæculi dignitates atque vo- luptates: & huic soli curæ intenti sumus. Ille docuit nos, unum esse necessarium (*Luc. 10: 42.*) nos in multa diffrahimur, quæ nihil aliud sunt, quam impedimenta salutis. Ait ille, ut eadem hominibus faciamus, quæ nobis volu- mus ab illis fieri (*Matth. 7: 12.*) nos ex adverso ea facimus aliis, quæ nolumus ab illis pati. Ille dixit, *Nolite judicare (Matth. 7: 1.)* nos alio- rum severissimi judices. In fratrum oculis festu- cas arguimus, trabes in nostris non videntes. Præcipit ille, ut ipsum toto corde, & super omnia diligamus (*ibid. 22: 37.*) nos opes, & voluptates plusquam ipsum amamus præferen- tes ei quidquid naturæ depravatæ errores fove- vet, quidquid blanditur concupiscentiæ. Ina- nis igitur est, quod ad nos attinet, prædicatio crucis, inutilis incarnatio Verbi, inefficax vir- tus Sacramentorum, quandoquidem ita vivi- mus, ac si nullam Dei & ultimi finis notitiam haberemus. Cumque vita cujusque animalis in operatione sibi congrua consistat, nostra autem propria operatio sit cognitio, & amor Dei, quidquid operamur huic fini conveniens, salu- tare est; quidquid extra illum, inutile & va- num: quidquid contra illum, perniciosum.

S. IX.

Cum omnes velint esse beati, cur non omnes beati sint.

Omnia qui ratione utuntur certa senten- tia est, velle homines beatos esse. De ipsa autem beatitudine multæ, & magnæ contro- versæ excitatæ sunt, in quibus Philosophi studia sua & otia contriverunt, ut discerent, quæ sit vita beata, cujus appetitio Christianis, & infi- delibus, sapientibus & insipientibus communis est. Sed in quo vera beatitudo consistat, feli- Christiani norunt, qui fide credunt fontem totius felicitatis, & finem omnium appetitionum Deum esse, qui est summum bonum & finis ulti- mus, quem super omnia amare debemus, ut in ejus fruitione quiescamus. Satis autem deplorari non potest innumerabilium Christianorum cœ- ca perversitas, qui cum beatitudinem vehe- menter exoptent, nihil tamen agunt, quo il- lam adipisci valeant: ita enim deluditur eorum